gigantæo de genere nati, qua de causa Colophonii;
Castabalenses nec minus barbarus Burgundiæ
populus Laupam obpugnantes innumeras
canum cohortes aluêre, quæ primæ tanquam
militum antesignani et victoriæ capita in acie
dimicabant, quarum auxiliò et subsidio
usi sunt Magnetes Mæandri accolæ cum
hostilem in Ephesiorum suorum adversariorum
terram, hastam iecissent, singuli enim equites
loricati commilitonem secum duxerant canem
venatorium et ferum iaculatorem quasi
fidissimos corporis custodes et munimenta
fortissima. Hallates quoque Lydorum Rex,
Cimmeriis inusitatâ corporum magnitudine et
mole præditis ei bellum inferentibus, cum
reliqua militum ac bellatorum manu, etiam
robustissimos canes ad certaminis locum et
pugnam eduxit, qui barbaros veluti
prodigiosas bestias, gorgonea terræ portenta
sphingem aut chymæram adorti stentoreo suo